27

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
CONTINENS

CASUM
DE
ASTHMATE.

QUAM,
Præſide Summo Numine,
Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. FRANCISCI DE LE BOE SYLVII,
M. D. & Medicinæ Practicæ in Inclytâ Lugd. Bat.
Academiâ Profeſſoris celeberrimi,
NEC NON
Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, ac Almæ Facultatis Medicæ decreto,
Pro gradu Doctoratûs, ſummiſque in Medicina Honoribus & Privilegiis ritè conſequendis,
Publico examini ſubjicit

HERMANN D'ORELL, Mœno-Francofurtenſ.

Ad diem 16. Septemb. loco horiſque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Hæredes JOANNIS ELSEVIRII,
Aademiæ Typograph.
CIↃ IↃC LXIX.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS
AC
PRÆCEPTORIBUS

Hanc ſtudiorum ſuorum Meſſem

ſacram facit

H. D'ORELL,

Auth.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
CONTINENS

CASUM
DE
ASTMATE.

HISTORIA.

I*uvenis 27 annorum, vitæ ſedentariæ, conſtitutionis Phlegmaticæ, habitus macilenti, cum venis amplis & turgidis, à primis ferè ætatis annis ſpirandi difficultate per intervalla tenetur. Antequam vero paroxiſmus reiteret, offerunt ſe Capitis dolor gravans, appetitus diminutus, ſitis itidem diminuta; fauces & lingua materiâ limosâ & viſcidâ matutino præprimis tempore obducta: levis nonnunquam palpitatio cordis; dolor pectoris compreſsivus, ventriculi vero gravativus & diſtendens; imprimis, cum menſa largior aut poculum hilaritatis pridie præceſſerint, ſic extra menſam aſſumpta non leve damnum inferunt: ſomnolentia continua;*

laſsitudo omnium membrorum, pedum præcipuè ſpontanea, ad motum hinc inertia: alvi excrementa ſegnia: urina cruda. Brevi poſt paroxiſmi præſentis ſigna apparere ſolent ſequentia; ſopor gravis, æger ab eo ſponte expergefactus ſummam mox patitur ſpirandi difficultatem cum inſpiratione breviori, exſpiratione longiori, totiuſque pectoris extenſione & allevatione ſumma, hinc ſcapularum, dorſi & pectoris muſculorum dolor; tuſsis maximè moleſta, quam inſequitur ſumma anxietas cum ſudore totius corporis, præ aliis vero partibus, Capitis imprimis gravedine urgente. Partes extremæ, naſus, aures, pedes & manus ad tactum frigent; ſopore denuo correptus æger inſomniis variis & turbulentis cum anxietatibus vexatur, ſubſequente ſtertore cum ſibilo, paulò poſt expergefactus ſummè inquietus corpus hinc inde agitans malum eouſque auget, ut aliquandiu orthopnæicorum inſtar cervice erectâ in lectulo ſedere cogatur. Pulſus contingit parvus, debilis, rarus, nonnunquam frequens & inæqualis. Vrina plerumque cruda, tenuis, leviter admodum tincta; interdum tamen intenſè flava cum ſiti tunc quoque urgente & pulſu frequentiori ſolitò, quod non, niſi rarò contingere ſolet, ſedimentum in ea nullum. Alvus ad duos pluresve dies aſtricta pro diuturnioris aut brevioris paroxiſmorum durationis ratione. Aurium tinnitus, murmura & tenſio abdominis; inflatio ventriculi & faucium con-

ſtrictio

ſtrictio tam diu urgentia, donec portio flatuum in faucibus quaſi hærentium notabili ſonu per os eructentur; aut etiam per inferiora excludantur, tum demum jam dicta remiſſiora fiunt. Dolor colicus ſubinde diris & vagis cruciatibus torquet, nec minus graviter affligit vertigo præſente præcipuè gravedine, facies etiam tumida & rubicunda tuſſi vehementi præceſſa. Sputum ſub initium exiguum, tenue & crudum, quandoque ſalſum, quandoq; acidum, hoc tamen rarò; ſæpius verò inſipidum ſummo conatu atque labore tuſſi rejicitur, unde tantus ſincipitis, oculorumque dolor, ut quaſi orbitâ ſuâ excidere videantur, hinc vomitus difficilis materiæ viſcidæ & tenacis cum ſalivatione, lachrymarum copioſa effuſione, indeſinenti ferè quoq; narium ſtillicidio eorumq; exaſperatione & frequenti ſternutatione. Capilli aliàs criſpi (quod notatu dignum) nonnunquam plani redduntur, gravedine imprimis præſente, taleſque tamdiu permanent, donec paroxiſmus cum dictis ſymptomatibus remiſſior factus fuerit & ſigna coctionis apparuerint; ſcalas locave montoſa & proclivia aſcendere vix valet, admodum enim anhelat.

Hæc omnia tamen enarrata pro erroris in diæta commiſſi, materiæve plus minus quantitate & qualitate peccantis diverſitate & anni tempore, nunc leviora aut graviora, nunc breviora aut longiora obſervantur, quæ, ubi remiſſiora fiunt materiâ magis ac magis ad coctio-

nem properante & partim jam rejectâ liberior aëris in- & exſpiratio conceditur; cibus mediocri quantitate & voluptate ſubinde verò nimiâ aſſumitur, redeunte tamen ſiti plus æquò ad tempus certum affligente; ſomnus blandus ſequitur; laſſitudo ſpontanea ceſſat: Excrementa alvi poſt diuturnam (ut ſupra dictum) conſtipationem dura compactaque conatu aliquali demum excernuntur; Subſequentia verò colore, odore, conſiſtentiâ & modo excernendi ſanorum ſimilia. Vrina tincta cum ſedimento ſatis copioſo, æquali tamen plano & albo, reliquaque ſupra memorata ſymptomata remittunt. Hiſce ita conſtitutis ad munia conſueta animo pacato & tranquillo revertitur miris & diris modis aliàs afflictus, donec denuò tres quatuorve ſeptimanas poſt crudelis ille hoſtis anni tempore ſupradicto rediens miſero novum faceſſat negotium.

THESIS I.

Alimentis & Potulentis mortales ad plures dies carere poſſe cuivis liquet, aëre verò ſine damno atque noxâ non item. Hinc hunc non inconcinnè vitæ noſtræ pabulum nuncupavit Philoſophus. Hoc idem Divinus noſter ſenex, libr. de flatibus, confirmare videtur, inquiens: *Corpora omnia tum hominum tum reliquorum quoque animantium à triplici nutrimento ſuſtentantur*, quorum nomine cibum, potum & ſpiritum ſeu aërem comprehendit, *quem maximum eſſe in omnibus (quæ corpori accidunt) & Authorem & Dominum*: Aſſerit inſuper, *ab omnibus operibus mortales aliquando immunes quieſcere, ab opere verò illius nullam contingere requiem*. Hinc meritò fructus illius ſpeciales & damna ſimul conſiderare nobis convenit.

convenit. Quid enim utilitatis ex eo naturaliter conſtituto, probè temperato & debitè inſpirato non percipitur? quantum quæſo fructum ex illo exſpirato homo non perſentit: Illo ſiquidem effervescentia in dextro cordis ventriculo ex diverſorum humorum, in eo, confluxu & igne vitali excitata debito modo compeſcitur, maſſæ ſanguineæ conveniens atque proba refrigeratio, conſiſtentia ac condenſatio, hoc verò halituum in eo excitatorum aliundeve adventantium ſecretio & excretio contingere ſolet: ut corpus noſtrum ambientem nunc ſicco pede prætercam. Si verò contrario ſe habeat modo, quid damni atque noxæ mortales eheu perpeti non coguntur! Hic aliàs ſanus eo ſubitò intercepto, ſubitò aut brevi animam efflare: Ille eo licet non omnimodè ſibi denegato ſuffocationis metu extrema remedia arripere: Alius verò variis anxietatum procellis hinc inde agitatus nunc erectâ cervice, nunc ſibilo & ſtertore maximâq; moleſtiâ eum ducere conſtringitur, quod hiſtoria modo tradita nobis manifeſtè ob oculos, utpote de *aſthmate* & primariis illius *ſymptomatibus* agens, poſuiſſe videtur, quorum *rationes* internas & externas exindeque manantes *indicationes* & *curam* ritè inſtituendam pro ingenii noſtri modulo infra trademus, quæ ut debitè peragantur, primo limine *nomen* ſeu *Etymologia* affectus dicti nobis ſalutanda venit.

II.

Sumitur autem vocabulum *Aſthma* quibuſdam à Græco ἄδω, Latinis, Cano, à quo ἄσμα Cantilena, quoniam difficulter ſpirantes canere quodammodo videntur, ſive ab ἄω, Flo, Spiro; nonnullis ab ἀσθμαίνω ſeu ἀσθμάζω, Anhelo, quod huc appoſitè quadrare præ aliis cenſeo.

III.

Et licet *aſthma* impropriè ſive latè pro quavis anhelatione aut ſpirandi difficultate ratione cauſarum, quarum plures enumerari poſſunt, ut ſunt ſanguis, aqua, pus, flatus, inflammatio & exulceratio pulmonum atque pleuræ, mala pectoris conformatio, diaphragmatis compreſſio &c. ſumatur; ſtrictè tamen pro anhelatione cum ſtertore, ſibilo & tuſſi ab humore utplurimùm viſcido, tenaci & flatulento pulmonibus & bronchiis eorum inhærente, proveniente.

IV.

Hinc non ineptè *definitur difficultas reſpirandi cum tuſſi, ſibilo atque*

quæ ſtertore per intervalla æſtivo præcipuè & autumnali tempore repetens.

V.

Pars affecta non una, ſed multiplex accuſari poterit, præ aliis tamen pulmones primariò affici ex theſi antecedente aliiſque patet: Dein ventriculus ex hoc numero non excludendus, ſiquidem eo benè conſtituto & curâ illius benè habita malum brevi cedere cogitur, quod ex ægro ſæpius mihi relatum atteſtor. Per accidens afficitur cerebrum, ſiquidem illud non ſemper, præſente licet paroxiſmo in ægro noſtro affectum obſervatur: Nonnunquam enim moleſtâ gravedine afficitur, nonnunquam verò ab ea liberum cernitur: Si eâ afficiatur, paroxiſmus multò diutius & pertinacius perſeverat; illud enim tunc tanquam pars materiam morbificam mandans dici poterit, quod in ſequentibus, ubi occaſio, hac de re fuſius agendi, dabitur, ſpecialius explicabitur. Dein huc veniunt muſculi thoracis, quatenus inordinato & violento illo diſtenſionis motu delaſſantur ac defatigantur. Diaphragma verò, quatenus à flatibus aſſurgentibus comprimitur inque ſuo naturali & proprio motu deorſum ac notabili ſui explicatione, tum in motu ſuo altero ſurſum à pulmonibus infarctis obſtantibus impeditur: Cor itidem affici, illud pulſus debilis, parvus, rarus, frequens ſubinde & inæqualis, animi deliquium nonnunquam ſubortum teſtantur, & tenue inteſtinum cum reliquis, quatenus non raro flatibus diſtenduntur.

VI.

Differentias Aſthmatis quod attinet, varias afferre poſſemus, ſequentibus tamen in ægro noſtro obſervabilibus acquieſcimus, ubi nunc gravius, nunc levius, nunc diutius, nunc brevius, nunc cum, nunc ſine febre affligitur; illud inſuper acquiſitum, non hæreditarium eſſe duplici ratione evincitur: 1. Quia non ab incunabulis, ſed ſeptimo aut octavo demum ætatis anno malè habere cœperit. 2. Quod parentes eo nunquam laboraverint.

VII.

Ut verò cunctorum aut plurimorum ſaltem ſupra enarratorum ſymptomatum tum imminentis tum præſentis paroxiſmi *cauſas* ordine exhibeamus, convenit eas dividere in proximas & remotas, has denuò in antecedentes & externas.

VIII.

Proximam hîc agnoſcimus obſtructionem, quæ cum à materia utplurimum viſcida & flatulenta proveniat non incongruè etiam con-

tinentem

tinentem vocabimus. Unde, quomodo & quando materia hæc reſpirationi infeſta generetur, ſequentibus exponere licebit.

IX.

Unde illa proveniat & ubi hæreat antequàm pulmones infarciat, oſtendunt partim capitis dolor gravativus, gravedinis nomine veniens & eum ſubſequens Catharrus per fauces & aſperam arteriam ſenſim depluens, quem ferè ſemper tuſſis nunc levis, nunc gravior, (materiâ præcipuè ſalſa exiſtente) comitatur; licet nonnulli dentur, qui deſtillationes ad dictas partes abſque ſuffocationis periculo fieri non poſſe autument, ſtatuantque materiam, de qua agitur, unicè per congeſtionem in pulmonum vaſis accumulari, inferentes inſuper exempla variorum, ex cauſa parvorum corpuſculorum ſubintrantium, ſuffocatorum, quibus tamen hiſce rationibus ducti reſpondere non veremur. Illa ſuffocationem inducentia ſubitò irruiſſe, hîc verò de lenta & vix ſenſibili (niſi ſalſa ſimul fuerit) per aſperæ arteriæ parietes deſtillatione agitur; nec negabimus ex humore ſubitò & affatim irruente catharrum ſuffocativum dictum induci poſſe. Videmus inſuper quantum commodi tuſſi & difficultate ſpirandi laborantibus ex uſu bechicorum lentè defluentium accedere ſoleat. Oſtendunt inſuper locum unde, ventriculi dolor itidem gravans & diſtendens, & appetitus imminutus paroxiſmum præcedentia.

X.

Unde verò partes modo dictæ afficiantur ex ſequentibus patebit (quibus tamen melioris notitiæ ergò quædam præmittenda cenſuimus & quidem notum eſſe puto, ventriculi fermentum naturaliter conſtitutum blandâ ſuâ aciditate concurrentibus ſpiritibus animalibus alimentorum nec nimiâ quantitate, nec pravâ qualitate peccantium aſſumptorum fermentationem debitam quibuſdam chylificationem dictam promovere, laudabilem verò chylum eâ ritè peractâ per pylorum ad tenue inteſtinum propelli, ibidemque ulteriorem perfectionem ab efferveſcentia ex confluxu bilis ſucci pancreatici & pituitæ ibi hærentis nanciſci; exinde verò per inteſtinorum cruſtam ſpongioſam ad vaſa lactea & ductum communem thoracicum per venam axillarem cùm confluentibus aliis humoribus ad dextrum cordis ventriculum pergere, ut ſanguinis formam in eo efferveſcentiâ debitè excitatâ ſuſcipiat, exindè verò per arteriam & venam pulmonalem ab aëre inſpirato temperatam ad ſiniſtrum propelli ventriculum, ultimumque in eo perfectionis caracterem accipere

pere & tandem exinde ad omnes & ſingulas corporis partes nutriendas per magnam aortam aſcendentem & deſcendentem protrudi, quo tandem nutritio earum proba fieri poſſit, ex dictis verò alio aut contrario modo ſe habentibus quamplurima mala expectánda veniunt.

XI.

Cùm itaque ægrum noſtrum de dolore circa regionem ventriculi gravativo & diſtendente, appetitu etiam imminuto conquerentem perceperimus, quis hic accuſabitur niſi toti œconomiæ proſpiciens ventriculus cum ſua fermentatione læſa & alimentis qualitate & quantitate peccantibus, unde tanquam ex ſcaturigine plurima mala promanare neceſſe eſt.

XII.

Ventriculus non immeritò accuſatur ratione doloris gravantis, quatenus ob potum æſtivo imprimis tempore frigidiorem & majori juſto quantitate aſſumptum ſecundum fibras imbecillis redditur, unde ingeſtorum diutius quàm par eſt in eo hærentium tardior contingit ad inteſtina propulſus.

XIII.

Sic accuſatur fermentatio, alimentorum, potulentorum & fermenti vitio læſa.

XIV.

Alimentorum culpâ contingit, quatenus hæc nimia quantitate, aut nimis avidè, aut non probè maſticatæ & ſalivâ ſubactæ, aut qualitate quâvis peccantia ingeruntur, unde fermentum obrutum & quoquo modo debilitatum neceſſariò officio ſuo ea incidendo & ſubigendo perfungi neſcit. Sic memini me quendam noviſſe, qui nimiâ & præpoſterâ ingluvie ciborum inſufficienter maſticatorum non ſolùm anheloſus verum ad hecticum inclinans factus eſt, quibus Medicis in cauſam hujus ſedulò inquirentibus perſpectis, ab iis admonitus fuit ne impoſterum, ſi vitâ ulteriori frui vellet, brutorum more cibos vix maſticatos deglutiret, quibus cùm morem geſſiſſet, brevi poſt fermentum ad naturalem ſtatum aliis inſuper adhibitis redire cœpit, illeque ſanitati reſtitutus obeſior quàm anteà nunquàm erat, diætâ probè obſervatâ factus eſt.

XV.

Hic Exceſſus non-minus afflicto noſtro imputandus, ſiquidem mihi notum, ipſum paroxiſmo liberum non nimià ſolùm quantitate

ſed

ſed & nimis avidè & præpoſterè & non ſatis maſticata, imò variorum generum alimenta qualitatibus diverſis peccantia ob acidum nimium tunc peccans inconſideratè & mali ſui immemor ingerere, quid aliud exinde, quàm corruptio eorum expectanda? hinc non ſolùm non ritè à fermento ſubiguntur; verùm etiam diutius quàm debent in ventriculo morantur, unde dolor ejus gravativus & diſtendens ſupra dictus, humorum viſcoſitas, & appetitus tandem diminutus, imò lerma quamplurinin malorum ſubſequi ſolet; humores dicto modo viſcoſiores redditi non minus viſcoſam generabunt pituitam, in quam bilis compedibus ſuis ſubinde liberata agens, excitabit flatus, unde dolor diſtendens, faucium conſtrictio, aurium tinnitus, ex quibus ſono perceptibili nonnunquam emittuntur, & colica flatulenta dicta oriuntur, & tamdiu perſeverant, donec illi partim per ructus, partim per crepitus cum levamine eliminentur, aut medicamentorum vi ſubſidere cogantur.

XVI.

Imminuitur inſuper fermentatio quoties potus generoſus, vinum rhenanum puta, aliudve, aut ſpiritus volatilis acris illius quantitate nimiâ & ſæpius repetitâ aſſumatur, ſiquidem illud fermentum abluit & abſtergit, ſecumque ad inteſtina devehit, ubi pituitam præſentem diſſolvens per vaſa Chylifera & communem ductum thoracicum ſecum ad Cor rapit, ubi effervеſcentia cum reliquis vitioſè peracta pulmonum vaſa permeat; cùm verò illud ſubſtantiæ tenuitate præ dicta pituita præditum ſit, non æquè motum ac hæc per vaſa anguſtiora tardat, hinc hujus craſſiorem partem inibi ob peculiarem inſuper vaſorum diſpoſitionem derelinquit, hæc initio licet aliquomodo tenuis (quod ex difficili & tenui illius ſub initium paroxiſmi exſcreatione & ægri relatione clarum) tractu tamen temporis frigore quocunque modo accedente craſſior tenacior & viſcidior redditur & dictæ obſtructionis cauſa fit: Sic à ſpiritûs vini ſale volatili acri ſitis excitatur, hujus extinguendæ gratia potus ab afflicto largiter aſſumitur, & eâdem ratione fermentum abluit aut illam diluendo virtute ſuâ acida privat, quod manifeſtè in potatoribus conſpicere licet, ſiquidem vix aliquid alimenti aſſumere valent, quod imprimis Weſt-Friſia & Germania hinc inde teſtantur, ubi hujus farinæ homines quàmplures reperiuntur.

XVII.

Diximus theſi antecedenti materiam illam viſcidam ſæpius in va-

ſis hæreſcere & derelinqui ob peculiarem eorum diſpoſitionem, quam tamen ulterius indagare & explanare animus eſt, ſi quis tamen meliorem attulerit rationem, lubentiſſimè ei locum dabimus: Interim cùm malum illud non ſit hæreditarium ſecundum hiſtoriam traditam, verùm ſeptimo aut octavo demum ætatis anno ſuum initium ſumpſerit, meritò ulterius inquirendum, unde illa diſpoſitio ortum ſuum traxerit. Novimus vim frigoris res aliàs molles conſtringere & duras reddere, hic verò noſter æger in pueritia ſua (in qua cunctæ corporis partes teneræ adhuc exiſtunt) ſæpius & quidem quotidie per totam æſtatem refrigerationis ergò, poſtquàm nimiùm incaluerit, ad caput uſque aquæ frigidæ totum corpus immerſit, & ſatis diu ſingulâ vice in ea permanſit, unde longo temporis tractu ramuli vaſorum & bronchiorum pulmonum minores teneri adhuc exiſtentes non tantùm anguſtiores verùm etiam duriores quodammodo factos fuiſſe, unde illis materia peccans facilius inhæreſcere arbitror, cùm non tam facilè ſe conſtringi nunc patiantur: ſi quis ad hæc ventriculum ſecundum fibras ſuas ex iiſdem cauſis debilitatum quoque velit, ei non repugnabo.

XVIII.

Salivam modo viſcidam modo aqueam ab alimentis ſimilibus diutius aut copioſius uſurpatis, continuò deglutitam ad fermentationis imminutionem contribuere patet partim ex illa faucium & linguæ ægri matutino ordinariò tempore obducta, ex hac verò, nimiâ nonnunquam ſalivatione, tenui producta.

XIX.

Num verò Aſthma noſtrum non etiam à materia gypſea aut tophacea bronchia obſtruente aut comprimente proveniat, meritò quærimus, cui tamen paucis reſpondemus, quod non: quamdiu enim illa bronchiis inhæret tamdiu etiam continuum plerumque excitabit aſthma, cujus teſtimonium de vetula quadam ex relatione à quodam fide digno (miſſo jam Platero, aliiſque Authoribus) mihi facta affero, quæ, cùm per plures annos continuâ ſpirandi difficultate cum ſibilo affligeretur, tandem tuſſi validè excitatâ tophum gypſeum bifurcatum ſecundum aſperæ arteriæ primam, prope quartam thoracis vertebram diviſionem formatum reperiſſe, quo facto ab inſtanti ab ea omnimodè liberatam fuiſſe.

XX.

Quod verò hyberno & verno tempore benè, æſtivo & autumnali

verò

verò malè habeat, ab aëre variè affecto deducendum arbitror, nullus enim dubito, illis plus ſalis purioris & ſimplicioris per eum diſperſum eſſe, qui maſſam ſanguineam continuò inſpiratus puriorem reddere & uſus ſupra traditos præſtare valet, quod affirmare videtur Vir Magnific. D. Sylv. Præceptor & Fautor ætatem colendus: Hinc corpora vegetiora, muniaque ſua felicius obeuntia, hunc ſalem verno tempore cum pluviis & nivibus deſcendentem & cum alio in terra præexiſtenti coeuntem ad incrementum plantarum non parum conferre autumo: Unde à quibuſdam Chymiæ gnaris in varios reſervatur uſus; nec latet Pharmacopœos alioſve huic arti accedentes illius utilitas, quippe qui hujus ope ſacharum multò clariùs & purius, quàm aquâ fontanâ aut puteali ob ejus defectum in hiſce, reddere ſolent; quid noxæ verò defectus illius nunc temporis inferat quotidie experiuntur mortales; malè inſuper habet æſtate & autumno, quatenus aër nimis calidus, æſtuoſus & minus perflatus poros corporis reſerat, ſudores nimios promovet, cum quibus non parum ſpirituum & caloris neceſſarii ſecedit, unde fermentationem (quatenus etiam pituitam diſſolvit præſertim ſi motus acceſſerit nimius) debilitari quis dubitat: cùm verò multùm humidus, pluvioſus & nebuloſus conſtitutioni illius adverſus exiſtat, humores ſibi ſimiles in corpore producit & auget.

XXI.

Sibilum itidem ab aëre per anguſtos & partim infarctos canaliculos ſubitò intrante deſumo, quod ventus loca anguſtiora perflans, aut per inſtrumenta anguſta aër impulſus illuſtrare videntur; in iis enim ſibilus manifeſtè percipitur; in ſpatioſis verò locis & amplis inſtrumentis non item contingit; ſtertor verò ab eo deſumendus, quoties aër per nares muco plenos exſpiratur.

XXII.

Motum nimium hic juſtè accuſare non auſim, niſi ille inconſueto nonnunquam tempore nobis inſciis fiat, de vita enim ſedentaria mentio facta eſt, quæ ſanè non levem malo anſam præbet, quatenus pituitam alioſque humores viſcidos accumulat, vix quicquam eorum diſcutitur, ſpiritus minus agitati relinquuntur, calor debitus coctioni aliàs commodus non excitatur, exinde quid expectandum ſit, ſatis patet. Excrementa diutius, quàm par eſt, detinentur, ex quibus detentis malè habet; alvo verò ab iis liberata haud exiguum levamen percipit. In horum cenſum venit ſomnus immoderatus;

 ſpiritus

ſpiritus enim obſcurat & torpidos reddit, calorem crudis humoribus cumulatis & ſuperfluis cohibitis obtundit; nec ira nimia quandoque in ipſo excitata â dictis excludenda, qua bilis quodammodo acrior facta in pituitam agens incommoda varia procreat.

XXIII.

Hiſce conſideratis reliquorum notabilium ſymptomatum cauſas paucis delibare lubet: diximus inſpirationem paroxiſmo præſente breviorem, exſpirationem verò longiorem fieri: & illam quidem ex eo, quod aër propter ſummam & ſubitam pectoris allevationem majori impetu per aſperam arteriam adpulmones feratur; cùm verò à materia viſcida canaliculos bronchiorum quamplures obſtruente reſiſtentiam aliquam inveniat, non niſi difficultate ſummâ ultra progreditur, hinc admodum brevis reſpectu exſpirationis, quam ſenſim fieri debere ex eo liquet, quod pectus pulmonibus infarctis non æquè citò conſtringi poſſit, hinc lentè hoc collabente, pulmones itidem lentè collabi neceſſè eſt, his verò collabentibus aër ſimili modo expellitur, quod in folle, cùm latera illius ſubitò didacantur, lentè verò concidant, quodammodo conſpici poteſt.

XXIV.

Cùm verò muſculi thoracis, ſcapularum & dorſi, vehementi, inconſueto & moleſto illo motu inordinatè moveantur & diſtendantur, ita, ut veſtimenta, quibus aliàs abſque moleſtia uti poterat, anguſta & moleſta fiant, niſi è veſtigio laxiora reddantur, neceſſè eſt illorum & pectoris dolorem ſequi delaſſantem & compreſſivum: poterit itidem laſſitudo hæc ſpirituum animalium torpori ſeu defectui adſcribi, quod Phlegmate abundantes plus quàm ſatis demonſtrare videntur: hinc afflictus noſter de univerſali pedum præcipuè conqueritur laſſitudine ob humores ſæpius nominatos gravitate ſuâ potius deorſum quàm ſurſum tendentes; halitus tamen quaquaverſum ſparſi hîc non excludendi atteſtante Magnif. D. Sylv.

XXV.

Sic ſomnolentiam atque ſoporem partim ab halitibus ex infima regione aſſurgentibus & caput petentibus, partim à ſanguinis parte aquoſiore à ſpiritibus aliàs ſegregari ſolita, nunc verò eoſdem obfuſcante & ligatos quaſi tenente dependere ſtatuo: Cùm verò ſenſim ſub tenui meninge in liquorem abeat, ibique notabili coacervetur copiâ, dolorem parit gravativum & diſtendentem, quem tamen etiam

etiam à flatibus vaſa diſtendentibus deducere non vereor; deinde ſenſim ad ventriculos, hinc per infundibulum ad glandulam pituitariam tendens, pars illius tenuior & fluidior ad fauces, exinde partim ad pulmones per aſperam arteriam, partim per œſophagum cum pituita delabente ad ventriculum lento gradu tendit, ſique fuerit acido-ſalſa eos ſuâ irritatione ad tuſſim, hunc verò ad ſui contractionem, motum periſtalticum inverſum & admiſſorum expulſionem, difficilem tamen ſollicitabit, ob humores in eo admodum viſcidos ac tenues potius deorſum quàm ſurſum vergentes. Sic vomitum materiâ acri abſente tuſſis vehemens non ſolùm pectoris, verùm etiam ſimul abdominis muſculos comprimens nonnunquam excitat, cùm hi violentiâ tali preſſi ventriculo ſimiliter vim inferunt: hæc tamen non in quovis paroxiſmo contingere ſolent. Pars verò illius altera ſalſa itidem & acris nunc tenuis; nunc craſſiuſcula tractu temporis reddita ad nares delabens coryzam, eas inſuper irritans ſternutationem cum exulceratione earum excitat: Cùm autem membranæ oculorum cum meningibus communione fruantur, non immeritò iis afflictis tuſſi præſertim dictâ, illa affligantur neceſſè eſt.

XXVI.

Eandem materiam copioſam, tenuiorem tamen ſudor multus & copioſus totius corporis, præ aliis verò partibus capitis, agnoſcit: In hujus autem capillis aliquid notatu dignum accidit, dum enim ille copioſè prorumpit, hi aliàs criſpi plani redduntur, & tam diu tales permanent, donec gravedo ablata & paroxiſmus finitus fuerit, quod fieri arbitror, dum ille vaporis ſpecie illorum poros ſubintrat & gravitate ſua extendit. Prorumpit inſuper ſudor ob cutis poroſitatem laxam, alvum diutius ſolito aſtrictam, & denique anxietatem ob tuſſim graviter affligentem & corpus concutientem.

XXVII.

Sic aurium, naſi, pedum & manuum digitorum extremitates ad tactum frigidæ tum humorum dictorum ſanguini admixtorum, tum ſubſtantiæ cartilagineæ, exiliorumque vaſorum ſanguineorum eas perreptantium ratione, tum quatenus præ aliis aëri libero exponuntur, obſervantur.

XXVIII.

Differentias cauſarum pulſuum quod ſpectat, fiunt parvus & rarus ob ſanguinis viſcidioris rarefactionem exiguam & lentam,

tum ob ignem parciorem in corde excitatum; Debilis verò ſpirituum animalium ad cordis parenchyma affluentium & illud contrahentinm inopiam aut ſegnitiem pro cauſa agnoſcit; quod verò frequens nonnunquam obſervetur, illud acrimoniæ ſalinæ bilis cum ſucco pancreatico acriori concurrenti & cor ad ſui contractionem crebrò vellicanti debetur; quod arguit etiam inæqualitas & cordis ſubinde levis palpitatio tum temporis obſervabilis, hinc non incongruè Febrim adeſſe dixerimus, licet calor non multò intenſior, quàm aliàs ſolet, obſervetur; Urina tamen plus ſolito tincta conſpicitur, quæ à dicto ſale provenire non ineptè ſtatuitur; tenuis verò & cruda è contra ab illius defectu.

XXIX.

Licet verò aſthma per paroxiſmos repetat, non ſtatim tamen cenſendum, illud febrim comitantem habere, niſi ſupra tradita ſimul concurrant; verùm potius illud accidere, cùm materia in tenui inteſtino ſoluta ſufficienti quantitate cum vehiculo ſuo ad pulmonum bronchia feratur, vel deſuper ut ſæpius dictum accedat.

XXX.

Quòd verò noctu utplurimum paroxiſmus reiteret, explicatu non erit facile, niſi quis aſſumere velit opinionem veterum ſtatuentium, pituitam ob ſimilitudinem, quam habet cum nocte ratione frigoris, eâ media moveri; verùm ut hiſce miſſis noſtram de re tam ardua proferamus ſententiam, diceremus potius illud eò fieri, quòd ordinariè cœna ægri noſtri prandio largior ſit præcipuè potulentorum ratione; dein illud plurimùm contingere, quod ea celebratâ requiem ſtatim deſideret; unde quid accidere poſſit, quilibet peritus facilè judicabit.

XXXI.

Loca montoſa & proclivia ſummâ cum anhelatione aſcendit, quia muſculi abdominis, (ut partim de tuſſi dictum) dum aſcenſu hoc plus quam ordinariè introrſum flectuntur, viſcera illius comprimunt, quæ ita affecta diaphragmati vim inferunt; quod ſurſum preſſum pulmonum jam malè habentium debitam expanſionem non permittit.

XXXII.

Quod ſitis paroxiſmo imminente & vigente ob materiam ſæpius dictam imminuta, eo finito ad unum aut alterum diem plus ſolito urgeat, fieri debere ſtatuo tum à ſudore copioſè præcedente humi-

dum

dum nimium abſumente; tum quatenus bilis acrior ſalina à compedibus ſuis viſcidis denuò liberata, cum accedente & confluente in tenuè inteſtimo ſucco pancreatico ſatius quàm blandè effervescit, hinc halitus ſalſi ad fauces & linguam per œſophagum aſſurgentes, aut per ductum thoracicum ad cor & pulmones, exinde ad fauces & linguam itidem delati; vel ſaliva ſimiliter ſe habens ſalſa illud præſtare poteſt.

XXXIII.

Cauſis quàmplurimis & primariis tum proximâ tum remotis ſymptomatum memoratorum traditis, ad *ſigna*, quæ duplicia ſunt, properamus, diagnoſtica & prognoſtica: Illa verò tum imminentis tum præſentis paroxiſmi miſſa facientes hâc ratione ducti, quòd ſufficienti enumeratione ſupra tradita fuerint: De ſymptomatibus idem eſto judicium.

XXXIV.

Prognoſtica verò ſunto ſequentia. Aſthma hoc ut radicitus in ægro noſtro exſtirpetur admodum difficile erit, tum durationis, tum materiæ peccantis, tum partis affectæ ratione: hinc non ineptè æquè ac affectus hypochondriacus flagelli ſeu opprobrii medicorum nomine venire poſſet: Ne tamen illi opem denegaturi videamur, varia pro indicatione diverſa in uſum vocanda veniunt.

XXXV.

Diximus illud per intervalla & paroxiſmos repetere hinc cura duplex inſtituenda venit, alia in paroxiſmo, alia extra eum.

XXXVI.

Curatio paroxiſmo præſente præcipuè reſpicit tum cauſæ proximæ obſtructionis puta ſolutionem & remotionem, tum antecedentis, pituitæ ſcilicet viſcidæ in ventriculo & tenui inteſtino hærentis nec minus capitis materiæ juſtam præparationem & ablationem, partiumque dictarum roborationem.

XXXVII.

Cum verò materia illa obſtructionem pariens modo tenuis, modo tenax & viſcida bronchiorum ramulis inhæreat, diverſam quoque, antequàm evacuetur, deſiderat præparationem, Illam quàmprimùm fieri poteſt incraſſando; in hunc finem conducunt *ſemen hyoſc. & papav. alb. ſachar. antiq. & conſerv. roſ. diacod. gumm. Arab. ſpec. diamarg. fr. &c.* Tenax autem & viſcida materia non tantum ſequentibus incidatur, verùm etiam ſimul expectorationi apta reddatur, hoc perficien-

ficient *rad. enul. ireos. liquir. angel. cep. & ſcyll. præp. & ex hac oxymel ſcyllit. cum flor. ſulph.* quod multum præſtat; *fol. tuſſilag. hyſſop. capill. Ven. ſcab. pulmonar. marrub. paſſular. major. flor. croc.* qui ob inſignem ſuam virtutem pulmonum anima audit, hinc *elixir ex eo cum aloë myrrh. & ſp. nitr:* præſtans ad tenacem illam pulmonum ſaburam incidendam & expectorandam conficitur.

XXXVIII.

Sic flatibus diſcutiendis inſuper conducent *ſem. aniſ. fœnic. urtic. naſturt. & ſiler. montan. bacc. laur. & juniper. ſpir. nitr. & ſal. armon. aliaque ſalia volatilia:* Ex quibus enarratis variæ pro lubitu concinnari poſſunt formulæ. Hæc de materiæ tum viſcidæ tum tenuis & flatulentæ præparatione & partim remotione dicta ſufficiant, ſi quis tamen adhæc externè inunctiones & linimenta abhiberi velit ei non repugnabo.

XXXIX.

Licet autem omnia jam dicta ritè peragantur, aliarum tamen cauſarum non minus accurata habenda erit ratio. Diximus eas partim in ventriculo & tenui inteſtino, partim in capite latitare, ab illis quidem alvum aſtrictam, flatus & diſtenſiones variaque alia incommoda, ab his verò dolores gravativi, deſtillationes &c. produci, quibus omnibus ut ſatisfiat, materia peccans præparanda & educenda.

XL.

Pituita viſcida dictis aromaticis incidenda, flatus exinde generari ſoliti dictis ſeminibus & ſpiritibus aliiſve oleis aromaticis, ut *Garophyll. mac. aniſ. fœnic.* diſcutiendi, aut ad ſui ſubſidentiam cogendi: Alvus verò quàm primùm fieri poteſt libera reddenda & ſervanda, ſiquidem hâc aſtrictâ, malum ut dictum brevi recrudeſcere ſolet; materiaque præparata inprimis cum febricula comitetur, educenda, quibus ſatisfacient ſequentia. *Agar. Colocynth.* & ex his *trochiſc. de agar. & alhandal;* Carthamus, *turbith. & hermodact. cum ſuis corrigentibus, & gummat.* ex quibus varia: Sic gravedine infeſtante *pill. Coch. & maſtich. Clyſteres* carminantes & alvum ſolventes cum fructu applicantur, quo nomine & ſuppoſitoria in uſum veniant.

XLI.

Capitis interim ſpecifica cura non negligenda præmiſſis dictis Univerſalibus, ad evacuationem facient *Errhina & ſternutatoria* præ *apophlegmatiſmis* eligenda; è quorum cenſu ſunt *ſuccus betæ Major-*

rut.

rut. cum vino alb. & ſachar. rubr. dilut. Macis & garyoph. Cubeb. & ſem. nigell.;

XLII.

Si verò Catharrus obſervetur ſalſus in Uſum venient *Sachar. de alth. Gum. arab. & tragac. pill. de ſtyrac. præ* omnibus verò de *Cynogl.*

XLIII.

Nec *vomitus* hîc prætereundus, ſiquidem hujus ope, imprimis cum diætæ leges pridie tranſgreſſæ fuerint, plurimùm Utilitatis ægris accedit teſtibus Platero, Riverio aliiſque viris doctrinâ claris; non tamen temerè inſtituendus, niſi æger facilis & pronus ad eum ſit. In hunc finem plurimùm conducet *ſapa vomitoria* Magnif. D. Sylv. cum muſto recenti ritè parata; ſic eandem ferè paginam abſolvunt *Crocus metall. & mecur. vit. ſal vitriol. vom.* aliaq; arte Chymicâ parata: Si quis verò à Chymicis abhorreat, in eorum locum ſubſtitui poſſunt varia tum leviora tum mediocria, ut ſunt *hydromel* largiter ſumptum, *radic. aſar. atripl. Cortic. median. juguland.* in infuſo; maximè verò *jul. ejus* furno ſiccati, *ſem. aneth. atripl. ſucc. raph. Elect. diaſar. Fernel.* nec uſus *aq. Peti* hîc contemnendus.

XLIV.

Dein Caput, pectus & ventriculus roboranda *conſerv. ex flor. de beton. & lil. convall. tinctur. Caſtor. conſerv. roſar. extr. abſynth. Calam. aromat. & cortic. arant. Condit. & hujus generis* quàm pluribus aliis. Hactenus de Pharmacia.

XLV.

Fons Chyrurgicus, capite pertinaciter repleto manente ſuppeditabit frictiones extremitatum crurum, cucurbitulas ſcapulis affixas & cruribus, humorem enim ad pectus fluentem revellunt; Cauteria brachiis & cruribus inuſta, ſic hiſce omnibus ritè peractis paroxiſmo cedente, reliqua quoque ſymptomata cedere neceſſe habent.

XLVI.

Extra paroxiſmum quomodo æger ſeſe gerere debeat, paucis exponere lubet. Accuratam proinde ſervabit *diætam* circa uſum ſex rerum non naturalium dictarum:

XLVII.

Aër itaque ſit temperatus, locus, quem inhabitat & præcipuè conclave verſus orientem ſpectet & aëre libero ſit perflatum, vitetur è contra calidus, æſtuoſus, nebuloſus & pluvioſus. *Cibi* ſint eupepti & facilis coctionis, ut carnes vitulinæ, hædinæ, agninæ, gallinæ,

avicu-

avicularum montanarũ: hæc omnia tamen potius aſſa quàm frixa aut elixa exhibeantur: vitentur è contrà carnes ſalitæ & fumo induratæ, piſces marini tum recentes, tum ſole exſiccati & ſale conditi viſcoſitatem augendi valentes, legumina quæcunque flatus generandi apta omni ſtudio fugienda; nec cibos inſuper duros præ mollibus, nec nimis avidè, aut nimiâ quantitatè ingerat ob acidum (ut diximus) nonnunquam peccans, hoc itaque ſalibus lixivis, &c. ut *ocul. Cancr. cret. Coral. marg.* corrigendum. jejunium veſpertinum ſingulis ſeptimanis ad minimum ſemel inſtituendum. *Potus* ſit vinum tenue & dilutum, nec nimiâ quantitate aſſumptum, illo deficiente Cereviſia ſit tenuis, clara, probè cocta, ex hordeo confecta; vitetur è contrà craſſa, cruda, fœculenta & noviter excocta. *Somnus* ſit moderatus, potius brevior quam longior, *Vigiliæ* itidem moderatæ; *motus* menſæ præcedat conveniens & modicus, fugiatur nimius, otium & vita ſedentaria. *Alvus* quotidiè reſpondeat ne hâc diutius ſolito conſtipatâ novo paroxiſmo generando, nova anſa prebeatur. *Ira* moderata concedatur. nimia verò prohibeatur, fugiatur *triſtitia*.

F I N I S.